

OBSERVATIONVM ECLECTICARVM

DE

METAPHYSICA LEIBNITIO - WOLFFIANA

SPECIMEN VII IDQUE VLTIMUM

DE ORIGINE MALI.

§. I.

**A**Rdua hæc quæstio sicut omni ferme Controversiæ de Me-  
taphysica Leibnitio - Wolffiana primam dedit occasionem,  
a) ita ultimo demum loco de decisione ejusdem dispicere  
licet. b)

a) Bælii nimirum Paradoxon: *Originem mali Philosophice non nisi adoptato Ma-  
nichæismo explicari posse*, atque edita hac de re plurima Scripta Eristica  
(quæ accurate recensent Summe Vener. Tubingensium Cancellarius D.  
Pfaffius in Diss. Anti-Bæliana de Origine Mali p. 6. sqq. S. R. D. Wolffius in  
Manichæismo ante Manichæos Sect. III. §. 8. sqq. p. 329. sqq. & S. R. D. Christ.  
Langhansen in Diss. Regiomontana a. 1724. de Necessitate omnium quæ  
existunt absoluta in Theodicæa G. G. Leibnitii, cui Wolffianum Meta-  
physicæ Systema superstructum est, asserta §. I. II.) excitarunt III. Leibni-  
tium ad conscribendum celeberrimum librum cui tit: *Essais de Theodicée  
sur la Bonté de Dieu, la liberté de l' Homme & Origine du Mal*, ubi ori-  
ginem Mali cum summis unius Dei perfectionibus philosophice conciliare  
conatus est. Ex hujus autem Tentaminis potioribus doctrinis maximam  
partem exstructum est Systema Metaphysicum Wolffianum.

b) Concurrunt enim in solutione quæstionis Principia Ontologica, Cosmolo-  
gica, Psychologica, Theologica; hæc igitur ut primum expedita sint,  
methodus requirit naturalis.

§. II.

*Malum naturale* est, quicquid rerum conservationi, per-  
fectioni, delectationi obest, sive in ipsis sit rebus, sive extra  
easdem: *Malum Morale* est *avopia* s. disharmonia actionum  
humanarum atque divinæ legis.

Reapse cum hac descriptione consentiunt, quamvis verbis differant, descri-  
ptiones Gulielmi King de Origine Mali Cap. 2. Leibnitii in Theodicæa §. 21.  
& Bulffingeri de Origine & permissione Mali §. 243.

G

§. III.